

test in se vt est. Idcirco per verbum, quod ex se pater semel idest æternaliter gignit, creauit omnia, creataque conseruat, disposuit, & gubernat, sicut scriptum est Io an. primo. Omnia per ipsum facta sunt. Et iterum: Omnia in sapientia fecisti, psalmus 103. Hæc attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter. Sapien. 8. Tanquam vocem qualdam, & signa vnici sui verbi diuinas nobis perfectiones significantes obscurius, vel clarius, secundum quod in eis imago, vel vestigium relucet increate trinitatis, vt dicitur Sapien. decimo tertio. A magnitudine speciei, & creaturæ poterit cognosci creator horum omnium.

Deus loquitur nobis per scripturas.

Verum quia etiam creaturarum voces plerique tardioris intellectus minus comprehendunt, etiam scripturam sacram quam ad patres protulit nos erudire curauit. Hæc locutio, etsi non est æterna, quia in tempore reuelata, est tamen æterna. Neque apex vnus, neque iota vnum transibit de lege. Matth. 5. Item: Cælum & terram transibunt, verba autem mea non transibunt. Sed cum per creaturas, per scripturam quoque multa Deus nos instruit. Hinc Hebræi. 1. Multiphariam multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis &c. Quomodo tantum duo se audiuisset propheta commemorat? At enim: Semel locutus est Deus, & duo audiui. Respondetur, ideo quia duo sunt diligenter in omni scriptura, & creatura attendenda, & quæ cetera omnia intelligenda ordinantur. Hæc sunt vt sequitur in psalmo, quia potestas tibi est, & tibi domine misericordia. Super quo beatus Augustinus: Intellego potestatem Dei, intelligo misericordiam. His duobus continentur prope omnes scripturæ propter hæc duo prophete, propter hæc duo patriarchæ, propter hæc duo lex, propter hæc duo dominus Iesus Christus, propter hæc apostoli, propter hæc annuntiatio omnis, & frequentatio verbi Dei in ecclesia, potestatem scilicet Dei, & miseri-

cordiam. Hinc psal. Omnes viæ domini misericordia, & veritas. In quo autem quodlibet horum magis apparet, consequenter proponit cum subdit, quia tu reddis vnicuique iuxta opera sua, malos scilicet damnando per potestatem, bonos saluando per misericordiam. Hi duo fines sunt contrariarum ciuitatum quorum vnus ad potestatem, alter ad misericordiam pertinet, secundum duplicem amorem, qui duplicem constituit ciuitatem, scilicet amor Dei vsque ad contemptum sui, ciuitatem Hierusalem cælestem amor sui vsque ad contemptum Dei ciuitatem Babylon, vt dicit Augustinus 14. de ciui. Dei. Ad potestatem pertinet quod nullum malum maneat impunitum. Ad misericordiam quod nullum bonum irremuneratum. Hæ ergo voces scripturæ, & creaturæ claustrum insuperabilem potestatem, qui diligenter attendit, diuinæ iustitiæ seueritatem, quam ostendit in presenti, & longè intolerabilius in futuro, considerabit.

Eius potestatem insuperabilem, & iustissimam in tempore iam declarant angelorum casus. Nam in angelo tantum fuit peccatum voluntatis, & tamen licet fuerit nobilissima creaturarum quæ Deus condidit, mutatus est in diabolum cum sibi coherentibus. Itē in Adæ, & totius propaginis interitus per diluuiū Extinctio Sodomorum, Ægyptiorum, Israelitarum. Dilata singula si placeat. Item afflictio electorum tormenta martyrum, cruciatus apostolorum, prophetarum persecutio. Et quid de exterioribus sermonem multiplico, ciuitatis Hierosolymitanæ excidium, & deuastatio maxima, magnam Dei potestatem nobis insinuat, quæ (Iosepho teste) facta est secundo anno principatus Vespasiani Septembris mensis, octauo die, vt ait lib. 7. de iudaico bello. Quis tante ciuitatis quæ (Iosepho teste) lib. 6. de iudaico bello) cincta erat muro habente stadia quadraginta minus vno, adhuc autem foris castella tredecim edificata sunt, eorum girus denis stadiis numerabatur. Quis inquam, tante ciuitatis.

Potestas Dei in quo nobis innotescit in presenti.